

dimus, si non sit sonus, quoniam defunt obiecta visus, & auditus. oculus nequit videre quæ tangit, aut quæ maximè distant, quia interualla malè sunt comparata. Hæc si vera sunt, vt agnoscuntur esse, & alibi à nobis sunt demonstrata, idest si sensationes fiunt, vbi vniuersæ hæc causæ adsunt, sequitur tum somnum fieri oportere, quando vel omnes, vel quædam ex illis defunt. At sensoria ipsa per somnum soporososq; affectus nihil patiuntur: qualis enim quæso affectio est in oculis, auribus, naribus, lingua, vel alia deniq; corporis parte, sensu aliquo prædita, quæ dormiente animali, somni causa dici possit? An intemperies, vel obstructio, vel alterius generis morbus, vel morbosa causa? quæ vt vniuersa sensoria, simul afficere nequeunt, ita citò accedere, & abire non sunt apta: quò modo videmus, promptè animal excitari, & rursus dormire: quod indicio est, nihil eiusmodi constituisse in ipsis sensorijs, quod causa esset, quo minus illa sentirent. Nec illud quidem existimare oportet, somnum fieri, quòd nerui sint impediti, adeo vt nequeant recipere sensificam facultatem, à suo fonte emanantem. Nam vt in hoc etiam casu necesse esset vniuersos neruos affici, nimirum cum somnus sit omnium sensuum vinculum: sic profectò, & motum pariter impediri oporteret: quippe cum vtramq; facultatem sentiendi inquam, & mouendi, recipiant in se nerui, eamq; in alia membra spargant. Adde quod nullus etiam morbus, nullaq; passio apta est in neruis fieri, quæ celeritate contendere valeat, cum generatione somni, & vigiliæ. Ac multò quidem minus arbitrandum est somnum fieri, quòd ipsa facultas laboret, sicut impedita sit in alio negotio obeundo: nam valente prorsus animali, vt nulla suspitio sit, de alicuius læsione, somnus obrepit, ac quum nihil prorsus agimus, tunc maximè ad somnum inuitamur. Docent & id soporosi affectus, qui illi fonte ipsius sensus, sæpe fiunt: veluti contingit nonnunquam in initio accessione febrium, si cerebrum sensuum fontem constituamus. In hoc enim casu cerebrum nihil peculiare patitur: aut per capitis vulnera, vbi cor nequaquam afficitur: si illud ex Aristotelis opinione eorum est origo: aut si aliquando ex hac ratione, vel quod cavitates necessariae ad sensum sint impeditæ, fit somnus: non tamen primò, & per se, hæc causæ illius sunt, sed quod aliud faciant. Hanc autem nos causam quærimus primùm, quæ communis, & immediata est. Nec existimare quidem oportet, somnum fieri quòd defint obiecta, quibus sensus commoueantur. Nam sæpe cogimur dormire, vbi multifida aures exercet, & varij colores oculos afficiunt. Quamobrem in ipsum commune instrumentum, quo facultas vtitur, ad vniuersas animi corporisq; functiones obeundas, nempe calidum innatum, totam huius rei causam rejicere oportet: quod puto me difficilè ostendere posse his, qui ignorant, quid innatum sit calidum, qualisq; illius natura, & vis: propterea nonnulla de hac re subijciam: quæ non solum huic tractationi erunt necessaria, sed etiam (vt arbitror) vniuersis philosophis, & Medicinæ studiosis iucunda, & vtilia.

Quid calidum innatum, & quot modis ex Galeno summatur. Cap. IIII.



VANTVM referat natiui calidi naturam, vimque omnem tenere, satis ostendunt philosophi, & multo magis medici, qui vniuersas corporis, animiq; functiones ei tribuunt acceptas, docentq; morborum generationem, curationem, præseruationem, atq; etiam ipsius sanitatis tuendæ rationem, ob illius passiones, & actiones fieri. Quòd si Galeno credimus, non solum quæ diximus, ei concedimus, sed etiam in eo animæ essentiam, philosophica licentia statuemus: quo fit, vt idem author, librum de hac re contra Iulium scripserit, & sparsim alibi multa, quibus naturam, & vsum calidi innati explicare nititur, quæ si solita sua varietate, sæpius inter se non confunderet, non erat profectò, quod de hac re scribere cogitarem. Verùm cum ille hæc pro dignitate nequaquam explicauerit: ex recentioribus verò quidam solum collegerint ex multis locis, quæ ille de hac re memoriæ prodidit, eaq; nullo adhibito iudicio, nullo ordine, aut methodo ediderint: alij verò multa in hac re excogitauerint aliena à nostra natura, notrisq; principijs: nemo (vt arbitror) superfluum hunc nostrum laborem iudicabit: ex quo quidè (vt spero) eliciemus, & tanquam exprimemus aliquid, quod aut verum erit, aut ad id quàm proximè accedet: Itaq; vt tractatio clarior euadat, primùm quid innati, & calidi nomine intelligendum sit, doceamus: Est autem idem innatum, quòd natiuum intelligitur autem innatum, quòd à natiuitate primisq; principijs est inditum: huic opponitur acquisititium. Sic enim Galenus dicere solet, iuuenes habere calorem acquisititium, non natiuum, vt pueri: quod scilicet calor iuuenilis ætatis progressu sic acquisitus, nõ autem talis, qualis est in ipsa generatione. Opponitur etiam natiuum acri, & mordacivoluti quum dicimus natiuum calorem temperatum esse: eum verò qui acrior est, natiuum non esse: opponitur & natiuus ei, qui est præter naturam, tanquam idem sit natiuus, & secundum naturam, in qua significatione dicere solet Galenus, febrem esse calorem natiuum, conuersum in igneum, & secundo de differentijs febr. ait, ab Aristotele dictum esse, putrefactionem ab aliena caliditate fieri: intelligendam autè esse alienam, extraneam, non natiuam, nec vnicuiq; propriam. Adeò vt idem sit natiuum, secundum naturam, & proprium: & idem alienum, extraneum, præter naturam, & non proprium. Verùm eius modi significationes, à prima deriuare videntur. Quoniam enim qui infusus est, moderatus, temperatus,